

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Exercitatio theologica de fragrantia Christi quam ex 2.  
epist. ad Corinth. 2, 15.16**

**Buddeus, Johann Franz  
Naumann, Tobias Gottfr.**

**Ienae, 1712**

**VD18 11426357-001**

§. VIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-130634](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130634)

in nouo testamento apparuit, &, quod illi typice ad expiandum populum praestare iusti erant, vt verus sacerdos, sufficienter exhibendum suscepit. Ideo suffire ipsi tribuitur, quod totum ipsius officium mediatorium complectitur, ceu ex epistola ad Ebraeos liquet, cuius auctor dicit: *Christum obtulisse tanquam sacrificia vel thymiamata preces & supplicationes cum clamore valido & lacrymis ad eum, qui poterat seruare ipsum ex morte, & exauditus est ex reuerentia; cap. V. 7.* Ecce sacerdotale officium Seruatori nostro adscriptum.

§. VIII. Eodem sensu de Messia vnguento laetitiae vncto *Psal. XLV. 9.* talia existant verba, quae de humana ipsius natura exerte loquuntur: *סור ואהלות קציעות כל בגדיו* Vestes humanam Christi naturam, seu corpus eius, quod secundum humanam naturam gessit, significant. Quando ergo Christi vestes aromatibus fragrantissimis compositae, dicuntur, extra dubium odorem ingentem exhalantes; nonne innuitur eius corpus, corporisque organa externa, suo quodlibet genere, agendo, loquendo, mouendoque, dum

dum in carne versabatur, optimum semper edidisse odorem? Manus sanando & benedicens, os verba vitae proferendo, laetissimamque euangelii vocem indefinenter edendo. *Hæc est, inquit, BRENTIVS, \* incundissima illa fama, quam Christus ipse prædicatione euangelii sui, & apostoli eius non tantum in Iudæa, sed & in toto terrarum orbe sparserunt.* Se ipsum Saluator missum esse testatur, vt euangelium prædicaret, *Luc. IV. 18.* Imo principium & fons, vnde euangelium proficiscitur, est ipse Christus, ideoque vocatur *εὐαγγέλιον Χριστοῦ*. Omnia enim quæ in saluberrimis eius sermonibus, vel de fidei dogmatibus, vel morum capitibus prædicantur, ipsi debent suam originem tanquam causæ efficienti principali. Nullo autem modo excludimus Patrem, & Spiritum sanctum a causâ principali euangelii, quia euangelium se habet tanquam opus ad extra, quod toti sacro sanctæ Trinitati est commune. Potest tamen Christus etiam dici

F 2

euang-

---

\* *In enarrat. in psal. ad b. l.*

euangelii obiectum, quia quicquid euangelium proponit, de Christo agit & ad Christum tendit; quippe qui cum merito ac donis suis euangelii est nucleus, quem si non quaeras in eo, sed circa corticem haereas, auram captabis.

§. IX. Obiectum huius *εὐωδίας* seu ad quem haec tendit *Christi bona fragrantia*, est Deus coelestis Pater. Placuit Deo creare homines sibi similes, quibus delectari posset uti pater filio suo. Lapsis autem iis, haec voluptas in taedium & iram versa fuit, quae aeternam eorum perniciem comitem habebat. Sed ne in perniciem quam lapsu suo sibi conflauerant detruderentur, nunquam finiendis subiiciendi cruciatibus, DEVS misericordia erga eos ductus *πρῶτευαγγέλιον* in paradiso annunciabat, sancte promittens, fore, ut tempore completo semen mulieris benedictum caput Stygii serpentis contereret, eosque redimeret. Hoc euangelium ipse *Gen. III. 15.* annunciauit, subinde sub variis oeconomis ac dispensationibus repetitum, hominibus proposuit, hunc in finem, ut homines oblatam  
 reci-